



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Petri Ioannis Perpiniani Valentini, Societatis Iesv
Presbyteri. Orationes Dvodeviginti**

Perpiña, Pedro Juan

Lvgdvni, 1622

Octava, ad Carolum Borromaeum Cardinalem amplissimum, & Franciscum Vargam regis Philippi legatum, quam dixit Romae in schola Rhetoricae, cùm secundum de Oratore librum explanaret: illi verò gymnasium ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-13368

PETRI IOANNIS
PERPINIANI,

AD CAROLVM BORROMÆVM
S.R.E. Cardinalem amplissimum, & Francis-
cum Vargam regis Philippi legatum.

ORATIO VIII.

CN. ille Pompeius, Cardinalis amplif-
me & sapientissime Legate, qui victor
de tribus orbis terræ partibus, tres insignes
triumphos reportauit, & ob magnitudi-
nem rerum gestarum Alexandro Macedo-
ni, cui bellorum gloria Magni cognomen
in perpetuum confirmarat, primū præ-
rogatiua militari, deinde suffragio totius
ciuitatis & publica omnium gentium con-
fessione fuit æquatus, cum ex Asia decede-
ret, victis potentissimis regibus, domitis
quāplurimis & bellicosissimis nationibus,
tot urbium copiis, tot populorum prædâ, tot
regnorum spoliis ornatus, venisse Rhodum
& in illa vrbe clarissima, cum gloria naua-
li, tum optimarū artium studiis, & summis
hominum ingeniis florente, dies aliquot
fuisse dicitur commoratus: vi-
bitur hoc

incredibile fortasse, quod dicam, sed ita rem gestam esse antiquissima literarum monumenta testatur, neque mihi pro cetera praestantis imperatoris facilitate & humanitate, magnoperè videtur esse mirandum: adiit omnia gymnasia, & sapientium virorum quaedam velut humanitatis officinas omnes liberalium artium doctores, de suis quemque rebus differentes & amicè & diligenter audiuit: talentum unicuique dari iussit, ut quorum disputationes, praesentia sua & nomine iam antè decorasset, eorum tenuitatem & inopiam suis copiis subleuaret, essetque munus illud tanquam pignus quoddam suae perpetuae erga doctos homines voluntatis. Magna profectò res, magna laus, sed illa maior, quod cum Athenas peruenisset in vrbe principe Graeciae totius, parente humanitatis, vitaeque magistra, eundem aduersus doctrinam animum & amorem suum declarauit: illa verò longè maxima, quòd imperij maiestati, & gloriae rerum à se gestarum armis, anteposuit sapientiae dignitatem. Nam cum de Africa, & Hispania prius triumphasset, quàm per aetatem ei, vel in senatum legi, vel magistratum vllum capere liceret, ad tertium triumphum de tertia terrarum parte decedens, & Posidonium philosophum inuisens, vetuit ille à
licto

lictoribus pulsari Musarum fores, cuius armis & victoria fuerat legionibus Romanis Asia propè tota patefacta, & vnus hominis priuati ianua submitti iussit laureatos illos fasces, quorum nudorum vim non Mithridates, non Tigranes, non alij opulenti reges, non tot ignotæ antea Romanis, barbaræque gentes non tanta orbis terræ portio Mæotico lacu vsque ad Erythræum mare potuerat vel viribus, vel animo sustinere. Pro Deus immortalis! quem ille Posidonio, quem ipsi sapientiæ honorem habuisset, si quam eius formam & speciem videre potuisset, qui foribus ipsis, & limini tam inornato, tantum iudicari esse tribuendum? præclara hæc certè, præclara & eximia videri necesse est. Sed ego tum humilitatem nostram, tum magnitudinem vestram intuens, nescio quid maius & incredibilius de hoc aduentu tam inopinato, mente concepi. Nam Pompeius etsi tantum doctrinæ, tribuit, quantum nemo vquamfuisset ausus optare: tamen non tam fortè ductus amore sapientiæ, quàm gratiã popularem aucupans, illa fecit, vt tantò maiori in pretio ipse haberetur. quantò plures facere putaretur omnem humanitatem atque doctrinam aut si bonarum disciplinarum studio fecit, erat in illis tamen, quos inuis-

330 *Ad Card. Borro. & Franc. Vargam*
bat, quod meritò posset amare: erat multi-
plex & varia cognitio rerù ac scientia: erat
verborum & sententiarum flumen, & melle
ipso dulcior oratio: erat denique philoso-
phica grauitas, nomen, auctòritas; vt non
tam mirandum sit, ad illos adisse summum
imperatorem, quam non aut cum illis po-
steà perpetuò vixisse, aut secum illos abdu-
xisse Romam: talenta verò & submissi fas-
ces quid habent admirationis. cùm tantò
plus ille vno impetu cœpisset, quàm quan-
tum distribui potuit in omnes philosophiæ
magistros? & sæpe accidat, vt qui facile aliis
de honore cōcedunt, in eo ipso vel, maximè
gloriam popularem quærant. At verò hic
vester aduentus mihi iure videtur esse mi-
randus non enim populare auram captan-
tes, nomē aliquod fragile falsæ gloriæ chora-
gium comparare studentes, hoc tam angu-
stum, tamque humile tectum, subiistis: non
doctrinæ varietas ad cognitionem, non elo-
quentiæ iucunditas ad delectationem inui-
tauit, quæ in nobis equidem sentio quàm
sint exigua, non denique nostra promerita,
non dignitas, quæ nulla est, impulit, vt scho-
lam nostram præsentia vestræ luce decora-
retis: sed vnus religionis amor atque do-
ctrinæ & illa beneuolentia singularis, quam
pro vestra bonitate habetis aduersus om-
nes

nes publicæ salutis amatores fecit, vt vestrę dignitatis paulisper oblitus, ad eos cohonestandos veniretis quos existimaretis, & religioni pro sua virili parte dare operã & ad publicum bonum conseruandum & augendum nonnullam curam industriamque cõferre; neque verò talenta, neque argenti & auri pondera viritim diuisistis; sed vestros animos, vestras voluntates, vos denique ipsos nobis totos tradidistis, quo munere nullum fuit à vobis neque maius, neque gratius, neque mirabilius expectandum: neque fores pulsare vetuistis; aut imperastis ianux nostrę submitti fasces: sed cum splendor vester ex multis variisque bonis effulgens, non secus atque lumen Solis omnium oculos mentesque perstringeret, obtexistis vos cum humanitatis vestrę quasi nube, vt acies nostra ferre posset: & cum amplitudinem vestrę dignitatis vix Roma ipsa capiat, contraxistis vos benevolentię causa vim illam ornamentorum, iure vobis cõcessam & traditã, vt his parietum & rectorum angustiis cõcluderetur. O cõmemorabilem humanitatem! ô facilitatem morum memorię superiorum: nouam nobis omnibus iucundã, posteritati prædicandã! Te videmus Cardinalis amplissimę, antiqua & generosa stirpe ortum, lectum in amplissimum ordinem purpuratorum patrum,

patrum & in hac arce omniū gentium collocatum, Pontifici Maximo cognatione proximum, potestate secundū, tam multis virtutibus, vel comitatis in hominibus admit- tendis, vel prudentiæ in cognoscendis & constituendis eorum rebus; vel clementiæ in tuenda sexus & ætatis imbecillitate, vel mansuetudinis & patientiæ in multorum importunitate perferenda, vel in victu continentia, vel integritatis in omni vita, vel pietatis in colēdo Deo, vel studij in defendendis & amplificandis sapientibus, vel ardoris in disputationibus de rebus maximis audiendis, vel aliis omnium munerum infinitis sic adornatum, vt ætas ista nondum sua maturitate perfecta, magnum lumen attulerit maiorum tuorum singularibus ornamentis: in his verò tantis naturæ bonis, in tanta abundantia fortunæ, in tantis industria gloria, non despexisse tenuitatem Societatis nostræ, non horruisse liminis ipsius humilitatem: non reformidasse cūm gymnasij totius, tum singularum exedrarum angustias, nō hunc puluerem & autumnalem Solem, præter consuetudinem ardentem refugisse, & hanc tam breuem & tam exiguam palæstram, iuuentutis non corporibus, sed ingeniis exercēdis dedicatam: hanc egestatis & inopiæ nudam, & ab omnibus
pro

propè derelictam sedem, satis amplum esse putauisse domicilium dignitatis tuæ. Per-
speximus antea multis in rebus animum
erga nos & voluntatem tuam, nunc te præ-
sentem intuemur: os, oculos, mentem de-
nique totam, ac sensus ipsos cernimus, vt
hos nostros sanè reipubl. nō inuiles cona-
tus, cū plurimum possis, quantum possis
tamen, iuuare velis. Tu verò sapientissime
Legate, cuius cū in cæteris vitæ partibus,
tū in hac legatione fungenda, plurimarū
virtutū insignia, iam inde vsque à Carolo
Cæsare cognita, verbis assequi me posse
diffido, cū primum hoc limen attigisti,
omnem potentissimi regis, cuius tu personā
in hac vrbe geris, vim potestatem, maiesta-
tem, in vnā parua domum coniecisti:
quod cū vel semel, vel nunquam etiam
fecisse meritis nostris satis esset, amor
tamen erga nos tuo ne bis quidē, vt arbitror,
erit satis. Pro hoc tam singulari beneficio
parem vobis gratiam negare à nobis referri
posse, nisi princeps Romanæ copię sapien-
ter dixisset, hanc esse gratiæ naturā, vt eā, &
qui habeat retulisse, & qui retulerit, habe-
re videatur. Ergo certè nomine omniū qui
& hic viuunt, & qui hanc non magnam il-
lam, quidem, sed vestri tamē amantissimam
bonarum artium domū frequentare solent,
tantas

tantas vobis ago gratias, quantas maximas agere possum; precorque à Deo Opt. Max. cuius nutu sola terrarum gubernantur, vt vos omnibus diuinis muneribus & donis cumulosos & ornatos, nobis diu saluos & & incolumes conseruet. Idem facerent hæc ipsa recta, si loqui possent, quæ nunc tacita, quodammodo lætare mihi exultarèque videntur tam insolito & nouo aduentus vestri illustrata splendore, orarèque suppliciter & obsecrare, vt nos patronos ac defensores, vt semper fecistis, literis & religioni præbeatis. Te præcipuè, Cardinalis amplissimè cuius & potestas est maxima, & arctissima vincula coniunctionis cum pietate atque doctrina. Etenim si Pompeius imperator belli gerendi, cuius omne studium à prima pueritia fuerat in contentionibus præliorum occupatum: cuius amplitudo non tam sapientium voce & præceptis, quàm armorum vi & terrore nitetur, optimarum artium doctores non salutos præterire nefas esse duxit; tu certè, Cardinalis amplissimè, quem artes pacis à prima ætate susceptum in gremio suo educauerunt: quem Pontifex maximus alterum secum esse voluit reipub. Christianæ ducem: cuius omnis dignitas sanctissimis religionis & sapientiæ decretis continetur, existimare debes,

bes,

bes hanc pietatis officinam, hunc bonarum
disciplinarum cœtum, has doctrinæ sedes,
nos denique omnes ad aliquem curæ & sol-
licitudinis tuæ partem pertinere.

PETRI IOANNIS
PERPINIANI.

*De Deo trino & vno Opt. Max. deque totius
Ecclesia consensione.*

AD PIVM IV. PONT. MAX.

ORATIO IX.



NON equidem miror P. B. ho-
diernum diem Dei Opt. Max.
qui natura vnus est, triplex hy-
postasi, festum atque solennē,
iucundissima præsentia tuæ lu-
ce, frequentissimo conuentu purpuratorum
patrum, publica Christiani populi lætitia
grata oratoris quãuis nõ bonivoce, maxima
cæremonia religionis antiquæ celebrari:
miror potius tacere quẽquã, & se cõtinere &
in tanto gaudio populi Christiani vniuersi,
orationem vnus hominis expectari: debe-
tur enim hoc illi rerum effectori & moli-
tori Deo, quem venerantes, animo quasi
ipse